in spirituali mente reficiunt. Scripturas vero sacras servat sponsa Christo. que quamvis predicta erant
voce prophetarum per quedam enigmata et involucra. veniente Christo predixerunt aperta. Unde et aperu
it illis sensum ut intelligerent scripturas. Sic et scriptura novi testamenti que non solum odorem
reficit sed etiam interius reficit prefertur veteri que odore allicit sed non reficit. et sicut vitas umbre
soliditas panis tenuitatis lagenarum precellit. sic Iohannes evangelista ceteris evangelistis vita pre
fertur et doctrina. Unde et ceteri evangeliste tamquam animalia gradientia in terris cum domino de tempora
li agunt Christi nativitate et de his que gessit in homine. Iohannes quasi omnem transgrediens
humanitatem de coeternitate verbi cum patre. verbum mundo inauditus protulit dicens
In principio erat verbum. Unde et forma aquile ei attribuitur. quia sicut aquila irreverberato lumine solis radios in
tuetur. sic Iohannes irreverberata mentis acie divinitatis archana contemplatur. et merito. quia
hic est quem dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate abstraxit ad pacem et tranquillita
tem virginitatis. et qui super pectus domini in cena recumbens. plus ceteris de divini pecto
ris fonte potavit. cui et Christus in cruce pendens matrem virginem virgini commendavit. De figuris anima
lium quod cui et quare attribuatur. quia alibi sufficienter dictum est hic reticetur. Materia Iohannis est in
hoc opere que et aliorum evangelistarum. scilicet deus homo. et vii. sigilla que vidit Iohannes in apocalipsi.
que et dominus noster aperuit. Unde non est inventus in celo neque in terra qui aperiret librum et solveret signacula eius nisi leo de tribu Iu
da. Hec autem sigilla sunt misterium incarnationis. sive nativitatis. baptismi. passionis. de
scensionis ad inferos. Resurrectionis. ascensionis. missionis spiritus sancti. sive adventus ad iudi
cium. Intentio que et aliorum. nos scilicet deformatos in adam per Christum conformare. et fidem nostram in
utraque Christi natura roborare. Modus tractandi talis. premittit de coeternitate ver
bi cum patre ad reprimendum quorundam errorem hereticorum qui dicebant Christum non coeternum esse
patri. quia in tempore natus est de matre. Deinde transit ad baptismum Christi. post agit de miraculo
quod fecit dominus in chana galilee. ubi aquam in vinum. Deinde de incarceratione Iohannis. et predicatione
Christi et miraculis. quia que ab aliis dicta sunt breviter perstrinxit. Deinceps de celeberrimo ser
mone quem fecit dominus in cena discipulis. postea vero de passione eius. Resurrectione. ascensione. bre
viter et commode subnectit. et ita terminat evangelium suum. Causa suscepti operis. et vel
et quorum rogatu hoc opus inchoavit. in illa glosa omnibus divine pagine etc. ad plenum
continetur. Illa autem que sequitur. scilicet contra eos qui etc. super litteram legitur. et interlinearibus et mar
ginalibus coaptatur.